

HENRICI ZÖLNERI
 Smalkaldiâ-Franci
 DE
 REGIS ROMANORVM
 ELECTIONE ac designatione, itemque
 jurisdictione
 CONCLUSIONES DELIBATÆ
 EX
 Auræ Bullâ Sacratiss.^{mi} Imp. Cæs.
 KAROLI QVARTI.

*BUCHANANUS de jure Regni
 apud Scotos.*

Rex populi causâ creatur: neq; bono Rege quidquam præstantius divinitus nobis dari, neq; malo pestilentius potest: Et quia tanta non est bonorum copia, ut semper probi suppetant, quos eligamus: nec tanta nascendi felicitas, ut fors illa semper bonos offerat: si non quales optaremus, at quales vel consensus approbavit, vel casus obtulit, pro Regibus habeamus. Ea autem, quæ est vel in eligendis novis, vel in oblati fortè nascendi approbandis alea, in causâ est, uti leges cupere debeamus, quæ Regibus Imperii modum faciant: quæ leges nihil aliud esse debent, quàm boni Principis Imago.



ANNO
 MDCXIX

II



22

HENRICI ZOLNERI

Smalkaldia-Pfanz

REGIS ROMANO-RVVM ELECTIONE

ac deignatione, nempe

jurisdictione

CONCESSIONES DELIBATE

Abbat. Bull. Sacrae. Imp. Cur.

KAROLI QVARTI

Faint, mostly illegible Latin text, likely the main body of the document's content.

MDCLXX





INTRODUCTIO.

SI, quod Marcellinus tradit de pædiâ historicâ, in *μεγαλειαι* Juris Publici discurrendum est per negotiorum celsitudines; operæ pretium videtur, augustissimum hoc argumentum de Regis Romani electione, atq; jurisdictione pauculâ velitatione discutere, cum superioribus temporibus ob Electionem Divi FERDINANDI, a) renitentibus primoribus nonnullis Imperii Ordinibus, Orbis hic in Republ. non sine sonitu concussus fuerit.

a) In quo Principe supra omnes virtutes, quibus pollebat, pietatis & pacis in domo DEI constituendæ præcipuum studium fuit. Thuanus *lib. 35. historiar.* Unde scribit Crato Archiater Cæsar. in *Epistol. Dedicatoriâ histor. Bohemic. Dubravii ad Rodolphum & Ernestum, Regem & Regnis exoptatis.* Illum crebris sermonibus ante obitum hæc verba usurpasse; Inter summa beneficia, quæ DEUS in gubernatione Imperii concessisset, primum atq; maximum vero animi judicio & optimâ conscientia hoc seducere, quod ad sedandas discordias publicas animum adjecisset, & tolerantia in religione formulam benignissimus DEUS sibi in mentem dedisset: Næ ergo frustrâ est Fr. Burchardus, qui in suâ autonomiâ scribit, Pacificationem Passaviensem per vindices libertatis Germanicæ Regi Ferdinando extortam fuisse, cum tamen ea in sequentibus Comitibus Augustanis anno 1555. confirmata & à Cæs. Majest. Electoribus atque Statibus Ecclesiasticis & Politicis approbata fuerit, insinuatione ejus quoq; Camera Imperiali factâ eodem anno. Waremundus ab Erenb. *lib. 2. de fœder. p. 222.* Ex quâ Pacificatione jura Episcopalia in Principes protestantes translata sunt, quod negat Eberhardus Junior *consil. 54. n. 178. vol. 2. perperam.*

CONCLUSIO I.

Imperia pro vicissitudine omnium rerum nasci, denasci, a) crescere & decrescere b) liquet ex iis, quæ monumentorum historicorum conditores, divinæ providentiæ in his terris ministri, c) omni tempore à conditu rerum consignaverunt.

a) Renatus de Lusigna *de ortu & increm. Imper. p. 2. 3. Montecatin. lib. 1. Polit.* Etne quidquam in humanis perpetuò vigeat, esse in sigulis Rebus publ. fatales familias, quæ exitio earum nascantur, observat Machiavellus *lib. 3. histor. Florens.* Inter causas verò everisionum Rerumpubl. rectè Aristoteles pro suâ docendi prudentiâ, Cæsar Cremoninus *lib. de pæd. p. 1. 2. fatum in politicis non collocavit*, Scherb. *lib. 7. Polit.* Ambrogio Schiappal'aria *nell' offeruar. Politiche nella prefat. utut displiceat Lips. lib. 1. de constant. cap. 18.*

b) cùm alternis mutationibus obnoxia sint ad-inftar maris, quod nunc succiduis attollitur incrementis, nunc naturali damno ac defectu subducitur, quod post Eutrop. de Romanâ Republ. pronunciat Otto è Marchion. Austriæ Episc. Erising. *lib. 2. histor. c. ult. lib. 7. c. 33.* Indolem familiarum Principum suos etiam veluti natales, incrementaque habere, ac tandem convescere & extingui, ex Henrici Castellæ regis vitâ animadvertit Mariana *de reb. Hispan. lib. 6.* Quare Romani prudenter conservabant domi patrum Imagines, uti antecessorum facta semper occurrerent & amplectendæ virtutis, q. quandam necessitatem haberent præ oculis, Hugo Falcandus *præf. de reb. Sicul.* c) Quia operum scriptores, quorum DEUS est factor, eleganter Casaubonus *in Pelyb. dissert. de dignit. & utilit. studii historici*, quo prudentia & sapientia, duo instrumenta felicitatis certissima homini nato, simul parabilis, Casaub. *d. lo.* Savillus. *præfat. in Malmesmur.* Quare Romanos uni historiæ mirandum in modum deditos fuisse constat, ut omne genus exempla prudentiæ & utilium consiliorum adnotarent, in opera magno Reipubl. suæ bono vertenda. Casaub. *d. lo.*

II.

Eâ re, cùm unicum id venenum, ea labes Statibus opulentis reperta sit, uti magna Imperia mortalia existant, a) magna ratio est, caducitati & ruinis eorum egregiis institutis b) validè prudenterq; prospici.

a) Ciccarelli ex Livio *disj. cor. 3. sopra. Liv. p. 16.* b) cujus generis sunt omnes occultæ atq; abstrusæ artes Reip. conservandæ, Clapmar. *de arcan. Rerump. lib. 1. c. 1.* veluti arcana Imperii, cùm aliud agitur, aliud agi simulatur, Bono tamen Publico. Scip. Gent. *de princip. Rom. n. 36.* Arcana dominationis, Italis & Gallis *le ragioni di stato*, Scip. Admir. *lib. 12. disc. in Tacit. 1.* Canonher. *lib. 1. disc. p. 9. & seqq.* Raudensis. *lib. 1. resp. conf. 6. & lib. 2. conf. 42.* licet passim omnium, cùm Philosophorû, tum aliorum cõvitio & disputationibus vapulent: Roveschallensis *in schol. conf. Baldi 1.* Inter magnas etiâ & admirandas rationes priscaarum illarum Rerump. conservandarum, quæ hoc seculo interierunt, non immeritò numeratur studium, quod in extruendis novis civitatibus & coloniis frequenti in usu fuit. Machiavel. *lib. 2. histor. Florent.* Illæ autè erant, quæ ex consensu publico in agros captivos, subsidium adversus rebelles & imbuendis sociis ad officia legum deducebantur: Et cùm præstantissima esset cõditio municipiorum, quippe quæ suo jure & ll. utentia, muneris tantùm honorarii cum P. Romano participia erant, potiori tamen & præstabiliori conditione existimabantur coloniæ, quæ jura & instituta P. Romani omnia haberent, nimirum propter amplitudinè & majestatem P. Romani, cujus istæ coloniæ q. effigies parvæ & simula cra esse videbantur, & jure atque dignatione quodammodò adæquabant. Cùm enim in arce rerum humanarum Roma constituta esset, ut quæque illam urbes arctissimis necessitudinis vinculis contingebant, ita sese præ reliquis maximè extulisse videbantur, Marcus Welserus *lib. 3. de reb. Vindelic.* Leonhardus Arctinus *lib. 1. histor. Florent.*

III.

Nobile autem schema est, Respubl. sic ordinari, ne facile a) convertantur.

a) Nam-

a) Namque minutulæ istæ mutationes trahunt paulatim ruinam Imperii, quod ex frequenti divisione Principatuum fieri, speciatim notat Eberh. à Weiche *dissert. de regn. elect. & success.* Mutationes tamen quandoque necessarias esse notat Monspeliens. *præf. consilior. n. 16.* Solent enim, ut plurimum, inquit Machiavellus *lib. 5. histor. Florent. in princ.* regiones mutationibus suis à bene constitutis rationibus ad corruptas, à corruptis vicissim ad benè constitutas migrare. Unde pro eâ, quæ inter bonum publicum & privatam intercedere debet harmonia, multa benignè familiarum conservandarum gratiâ, Ludovicus de Casanate *consil. 50. per tot.* Alphonsus de Azevedo *consil. 2. n. 42.* constituta atq; recepta sunt, moribusq; nostris inter illustres & plebejos maximè frequentantur, veluti jura primogenituræ, Michaël ab Aguirre *respons. de success. regni Portugall. per tot.* Ludov. de Molina *de primogen. Hispan. lib. 3. c. 9. & seqq.* jura majoratus, Høndedæus *consil. 45. n. 7.* pacta renunciativa & dispositiva, c. *quamvis. de pact. in 6. l. fin. C. de pactis. & ibi Dauth.* Tessaurus *decis. 225.* Pfeil *consil. 22.* (quæ posteriora tamè, si affirmativa sint, non valere, etiamsi juramento confirmentur, post Anguissolam *consil. 36. n. 1. respōd. Ernest. Cothman consil. 8. per tot. Borch. consil. 10.*) maximè vicissitudinaria & reciproca, confraternitates & mutuam successionem illustrium personarum concernētia: qualia nostris temporibus inter Illustris. Principes, Duces Saxon. Landgrav. Habs. & Marchion. Brandenburg. & olim inter Principes Henneberg. quoque & Duces Saxon. inita esse constat. Zaf. *consil. 1. in princ. lib. 2.* Reusnerus *1. consil. 3. & 7.* uti nimirum ex mutuâ & stabili hac successione familiarū senescentium dignitas & splendor conservaretur, Knichen *de jur. Saxon. c. 2. verb. Electorum. n. 60.* cum publicè inter sit familias conservari, Flamin. *de Rubeis consil. 18. n. 96. vol. 2.* quæ etiam sunt instar civitatis. Fichardus *consil. 3. n. 7. lib. 1.* Quâ ratione quoque pacta unionis prolium inter plebejos sustinentur. Rickius *de union. prol. c. 3. n. 7.* Meichner. *tom. 4. decis. Cameral. 13.*

KV.

Proinde cum magnis nationibus atque gentibus eam Reipubl. formam, quâ unus pluribus præest, adprimè accommodatam esse ratio & rerum eventus demonstrat, a) curatè faciendum, ne successor b) in incerto c) sit.

a) per ea, quæ egregiè tradit Julius Pflug Episc. Numburgens. *dissertat. de Imperio constituendo*, ubi ad Reipubl. nationis nostræ accommodat, faciunt notata Contareni *lib. 1. de Republ. Venet. Ciccarelli. discors. 1. supra. Liv. Dissert. latè Josephus Bonfadius tr. de civilis administrationis opt. formâ adversus oppugnantes Aristocrat.* Utrùm verò sit è re Christianorum publicâ, in tantis regnorum motibus & impendente Turcarum tyrannide, Monarchiam Europæam ad Hispaniarum Regem vel ultrò deferri, vel fatali quodam orbe devolvi, videt Andreæ Hojum *discurs. de utilit. novæ apud Europæos Monarch.* b) Qui si spreto natalium jure suffragiis admovetur, populum arguit liberiorē, Philippo Cauriana *discors. supra. it. Tacit. p. 60.* Unde in dubio Electio etiam præsumitur, Pacianus *de probation. lib. 2. c. 30. n. 71.* cum ubi Princeps ex Principe nascitur, tutiora pleraque omnia videantur, Baridana *in quæstion. polis. 1.* Canonherius *lib. 1. discurs. in Tac. p. 142. Lips. lib. 2. monis. polis. c. 3.* In Poloniâ & Daniâ Electio filiorum Regis prudenter:

)(3.

instituta videtur: licet enim in illis Regnis superiores Reges continuo fe-
 re temporum contextu, alter alterum ex eadem gente exceperit, hoc tamen
 non juri hereditario, quod sibi vindicare prohibentur, sed virtutibus & in-
 natis nobilitati Polonicae & Danicae erga regiam prolem studiis, adscribi
 debet, quae natos paternae virtutis heredes futuros cum sibi persuaderet,
 quod in parentibus admirabatur, hoc de filiis eorum sperare facile potuit:
 Ad eum ergo in modum filii in paternum solium succedere jubentur, ut si
 qui Reges aut ab officio deflectere, quod in summa potestate fere usuve-
 nit, vel publicam libertatem oppugnare velint, hac necessitatis lege & libe-
 rorum caritate in officio contineantur, & filium, quem sibi designatum
 velint successorem, optimis artibus atque virtutibus sedulo curent imbuen-
 dum, Stanislaus Krzistanovvic in *descript. Statuum Polon.* Thuanus *lib. 56. hi-*
stor. Everh. à Weihe *dissert. de regis elect. & success.* c) Certitudo enim he-
 redis semper Reipubl. expedit, qui si quid humanitus accidat Principi,
 consensu omnium firmatus suscipiat gubernacula, cognito multis experi-
 mentis nasci maximas turbas, si Princeps nullo certo successore moriatur,
 trahentibus ad se pluribus Imperii summam: cujus rei nullum illustrius ar-
 gumentum Imperio Alexandri Magni, quo nullum florentius, nec majus
 unquam fuit pro brevitate temporis, quo paratum primo, dein auctum,
 nec venerat adhuc eò, ut mole sua caderet, quod solet in magnis imperiis.
 Josias Mercer. in *not. ad Tacit. lib. 1. annal.*

V.

Praeterquam enim, quod haec, quae in designandis perpe-
 tuis successoribus evigilar cura, Rempublicam aeternam con-
 stituit, a) rectoribus etiam illius, b) ut pravae aliorum spes
 cohibeantur, c) & uti sint, quos in partem sollicitudinis d)
 adsumant, munimento e) esse viderur.

a) per notata *thes. praeced. lit. c.* b) Ita Augustus Imp. sapientissimus,
 primus post fluctuantes Reipubl. Romanae reliquias, inter tot adversos,
 hos partium diversarum, illos libertatis memores, destinando sibi vivo suc-
 cessores, securam & longè summam pacatam dominationem constituit.
 Mercerus *d. loc.* Et vel hoc nomine continuatione Imperii Romani à mille
 & tot centum annis deberi soli Augusto, notat Clapmarius *de jure publ. n. 26.*
 c) Non obstat exemplum Galbae apud Tacit. *lib. 1. histor.* qui securus pa-
 catum Imperium tenere potuisset, nisi Pisonem sibi adoptando successorem
 designasset: ante id factum enim Otto nihil movebat, profecto, spe dejectus
 Imperii tentavit extrema, perfecitque: Malum enim id maximum in Reipubl. cum
 plures vivo Principe sibi promittunt successionem, sed nunquam majus, quam
 ubi iis varia causa, quis freti, & ambigua certaturis victoria, aut ubi causa
 unus potior, alter favore, id quod in Tiberii & Galbae principatu animad-
 vertere est, apud Tacit. *Manet ergo consilium, si duo sint, qui vocentur ad spem*
successionis causis disparibus, sed quibus utrisque sua munimina, si res non
urgeat, utendum Tiberii consilio, temperanda studia inter utrumque, donec me-
lior aut omnibus probetur, aut fracta potentia deterioris (ne ad experiun-
das opes suas cogatur desperatione speratae potentiae) securus ac sine æ-
muli metu capestat spem Imperii. Sin, ut in Galba, res instet, & necesse sit,
vel bello ingruente, cui non alius dux dari posset, quam qui successor fu-
turus.

virus, vel ingravescente ætate Principis aut morbo, tunc Galba consilium se-
 quendum est, ut bonum & dignum eligamus potius cum aliquo periculo,
 quam malum, securi futurorum & nobis solis consulentes. Deinde hoc e-
 tiam facimus, quod non servatum Galbam pessumdedit, ut quos favere de-
 teriori Princeps viderit, eos omni ope omnibus artibus ab eo abducat, e-
 tiam si à publicâ disciplinâ desciscendum sit. Galbam enim exactio disci-
 plinæ militaris & studium frenandæ impotentia & avaritiæ Prætoriano-
 rum pessumdedit: quibus eo tempore indulgendum erat aliquid potius,
 quam daretur causa, quâ sibi ipsi adrogarent omnium licentiam. Ergo si
 qui erunt, qui turbare posse videbuntur, conciliandi sunt quacunq; ratio-
 ne, aut sanè exarmanda antè eorum audacia, quam cogendi ad omnia
 audenda, abjecto eo, cui studebant. Sera enim tum coercitio plus poten-
 tiam, cum efferati ruunt ad arma, prout in Galbâ videre est. In aliis Prin-
 cipibus, si similia exempla ostenduntur, dici potest, non tam esse damnosam ele-
 ctionem potioris, quam fuit dilatio Electionis, quia dilatione spes ab aliis concipitur:
 ab initio, si fieri potest, ostendendus qui destinatur Imperio, ne quis
 spe sublevari ad res novas possit: quod & in Galba exemplum habet, què
 neq; Otto perculisset, si, antequam rediisset ex Hispaniâ, habuisset secum
 Imperii successorem. Altero periculo, ne is ipse, qui destinatur successor,
 audeat adversus Principem, auctusq; ab eo honoribus, potentiam vertat in
 ejus exitium, sic obviâ mibitur à Principe, si tria observabit, quæ Tacitus
 ibidem notat: Primum est, *magnitudo Principis*, quæ firmata longo Imperio,
 amore civium minùs sollicita est, quem eligat; quia hoc unū intueri habet,
 eum eligi, qui Principe mortuo par sit rebus. Secundum est, *modestia dese-*
gnati, qui talis sit ad suæ ducine, ingenio, ut etiam si possit, etiam si vocetur
 ad Imperium, malit tamē id expectare, quam sceleratè præripere. Tertium
 & postremum, uti talem Princeps eligat, *qui bonis artibus clarus, quemq; pa-*
rem rebus futurum, aut experimentis cognitum sit, aut summâ indole: Et hæc ab
 Imp. Henrico Quarto non observata eum pessumdedit, Josias Mercerus
 in notis aureolis ad Tac. lib. 1. Scip. Admiratus lib. 1. discurs. in Tac. 2. Heigius lib. 1.
 quest. 6. p. 1. d) Simoli atq; oneri Imperii ferundo impares sunt, quod in
 Imperio Orientis sæpissimè factum. Cabotius 1. *disput. juris* 8. Quibus ob-
 eandem quoq; causam Præfecti Prætorio adjungebantur, Mutius Anton.
 Surgens de Præf. Prætor. comparat. cum Vicereg. Neapolit. c. 30. qui rursus suos
 habebant adjuutores, Pancirolus comment. ad notit. Imp. Roman. c. 12. Sicut in-
 firmis Episcopis coadjutores adjunguntur, c. 1. cum seq. 7. 9. 1. Pancirol. d. lo.
 Et respectu hujus rei, quibusdam juribus superioritatis per Imp. ordinibus
 inferioribus concessis, quod ea, quoad participationem atq; communio-
 nem curæ, laboris atq; sollicitudinis, non in effectum omnimodæ liber-
 tatis & superioritatis culmini Imperii contrariæ accepisse dicantur, notant
 Marcobrunus ab Anguillis *conf.* 99. n. 21. 23. Raudensis lib. 1. de analog. c. 28.
 n. 18. & 19. Peregrin. de jur. & privil. fisci, lib. 1. t. 2. n. 71. & 78. Ita pro Regno-
 rum diversitate fœminæ etiam quandoq; in consortium Imperii admittæ
 fuerunt, Mariana lib. 2. 4. rerum Hispanic. c. 5. Scriverius in annalibus Hollandicis
 lib. 3. Malmesmurienf. lib. 2. rerum Anglicar. c. 11. & hodieq; apud nonnullas
 gentes ex Principatus capaces sunt, quo de vid. Choppin. de doman. Franc.
 lib. 2. t. 6. & lib. 3. t. 1. n. 6. Alia est consuetudo Principum Germaniæ, cujus
 vigore ad communionem præfecturarum & regionum non admittuntur.
 Thomingius *conf.* 18. n. 37. lib. 1. c) Unde perpetui isti successores à scri-
 ptoribus

ptoribus rerum Romanarum vocatur *adminicula aule, subsidia dominationis*; Illustribus quinetiam nominibus solenniter apud Romanos salutabantur *Principes iuventutis; heredes & consortes Imperii; Augusti & Cæsares; Germanici*, sicuti Vitellius filium suum appellabat: deinde temporibus Justiniani, *Nobilissimi*: prout hodieq; in Germaniâ dicuntur *Reges Romanorum*, in Galliâ *Delphini*, in Hispania *Infantes*, Clapmar. *de jure publ. n. 28.* Heig. *1. q. 6. n. 38.* *Infançones*, nepotes Regni, licet abusive, Georg. de Cabedo *decis. 107. n. 2.* in Angliâ & Scotiâ, *The Prince*, Smithus *lib. 1. de Rep. Anglicanâ* 3; in Tartariâ, *Galga*, Broniovius *de rebus Tartar.* in Regno Neapolitano, *Duces Calabriae*, Heig. *d. lo. Quomodo Karolus Quartus in commentar. de vitâ suâ*, Wencesl. & Sigism. filios, vocat *secundos suos sedentes in thronis suis.*

V I.

Et hujus rei intuitu Romani a) cum DEUS scepra ejus in vertice rerum b) locasset, sanciens mundum Quirinali rogæ servire c) & armis d) cedere, ut discrepantium gentium mores & observantiam, e) linguasq; f) & ingenia & sacra unis domaret legibus, g) naviter huic negotio h) operam dederunt.

a) Rempubl. Romanam post Cæsaris potentiam liberam fuisse, concludit Decianus *cons. 19. num. 124. volum. 3.* I. Quod non ab aliquo populo regere victa & statum mutare coacta fuerit, sed à cive & suis armis legem acceperit. Deinde, quod civitas ipsa lege Regiâ, quæ de Imperio Principis ab Ulpiano lata dicitur, potestatem tantam civi suo detulerit. III. Quod post mortem cujusq; Imperatoris novum ipsa sibi Principem, repetitâ in singulis eadem lege Regiâ, elegerit. Quibus addit Scip. Gentil. *disp. de jure publ. P. Rom. disput. de Princip. Roman. n. 21.* quod & memoriam mortuorum Principum damnare, atq; ignominiam notare consueverit, si qui malè sceleratèq; egissent. b) Vid. Danth. Aligherius *lib. 2. de Monarch.* Quod Imperium amplissimum temporibus Trajani fuisse, notat Guido du Bruecq; *in mundo Imperiorum c. de Imp. Rom.* & an virtute potiùs suâ, quàm fortunâ hoc effecerint, vid. inter se dissidentes, Scipion. Admirat. *cujus sententia verior videtur, lib. 19. discurs. c. 5.* & Machiavell. *lib. 2. discurs. in Liv. 1.* Cur autem Novelli Romani (*ita Venetos vocat Flamin. de Rubeis consil. 2. n. 52. & seqq. volum. 2.*) tantum Imperium nō adquisiverint, vid. Paolo Paruta *lib. 2. discurs. 1.* c) Quod ergo in P. Romano *perfidiam* appellarunt gentes barbaræ, nos *legem & jussu populi*: quod illæ *superbiam atq; arrogantiam*, nos *magnanimitatem*: quod illæ *timorem*, nos *prudenciam & consilium*: quod illæ *cunctationem servilem*, nos *patientiam* vocamus, vid. Scip. Admiratus *lib. 1. disc. 6. & lib. 5. disc. 9.* d) Aliquam posse institui comparationem rei militaris Romanæ cum hodiernâ, not. Diego d'Alaba *in tr. suo Hispan. de Capitan. p. 6.* cum re militari Turcicâ, Scip. Gent. *dissert. de re milit. Rom. & Turcicâ*, quamvis successu ætatum, ducum varietas semper mutaverit militiæ disciplinam, Clapmarius *de jure publ. n. 135.* Quare cum sub posterioribus Imperatoribus, nulla expeditio aliis, quàm Barbarorum manibus gereretur, Romani coacti sunt cedere Imperium ei, cui arma tradiderant, Savillus *de milit. Roman. p. 22.* ubi etiam vulgarem lectionem Polybianam de stipendiis militibus & admirabili fertilitate Galliæ Cisalpinæ contra Hostom. *lib. de re mil.*

*mar. defendit: postquam enim copiosè abundant τὰ νόμῳ μένου δῖστα, quæ tantum in
 positione hominum consistunt, trahuntur necessariò τὰ φύσει δῖστα, ea quæ natura re-
 quirat ad grandius pretium in foro, Savillus d. loco. p. 84. Licet autem Romani
 symbolis, veluti aquilis, draconibus, in bellis usi fuerint, origo tamen infi-
 gniorum illis non adscribenda, cum ea à Karolo Magno adumbrata, ab
 Henrico Aucupe perpolitata fuerint: ita fortissimi Impp. militarem virtu-
 tem, cui toto pectore incumbabant, hoc ornamento honestatam voluere,
 Welserus de rebus Vindelic. lib. 4. e) Licet magnâ admiratione digna vi-
 deantur Romanorû ingenia in re bellicâ, major tamen eorû sapientia fuit,
 quâ tot morib. & linguis dissonas sub Imperio gentes prudenter rexerunt:
 Quemadmodum enim ferventes aquæ semper ebulliunt, nec vase queunt
 coerceri: sic tot populorum æstuantia ingenia difficillimum fuit cohibere,
 Pancirol. præscript. in comment. ad notit. Imperii Romani. f) Et hæc vera, ra-
 tio l. 48. D. de re jud. videtur esse, cur decreta olim Latine à Prætoribus interponi
 debuerint, nimirum uti Latinæ vocis honos venerabilior per omnes gentes
 diffunderetur, Hotoman. in Francogall. c. 2. néve ullâ in re pallio toga sub-
 jiceretur, Waltherus i. miscellan. 18. Quod Imperio postea Constantino-
 polin translato immutatum legitur in l. iudices. C. sentent. Duarenus ad d. l. 48.
 In quantum verò lingua Latina hodieq; aliis idiotismis præstet, vid. Ana-
 staf. Germon. in session. pomeridian. p. 4. 5. g) Ex Prudentio Alberic. Gentil.
 disp. regal. 2. de unione regnor. Britann. p. 43. h) De Augusti, Tiberii, Galbæq;
 institutis dictum thes. præced. quos imitati multi ex sequentibus Imperato-
 ribus, Heig. 9. 8. n. 13. Augustus etiam sapienter non unum, sed multos ad-
 optavit, quò pluribus munimentis insisteret, Clapmar. de jur. publ. n. 26. &
 de arcan. Rerump. lib. 3. c. 10. Idem observatum apud Impp. Constantino-
 politanos, Marcellin. lib. 27. Modus autem illius designationis talis ple-
 rumque erat, uti futuris successoribus annulum mitterent: (qui mos apud
 varias gentes quoq; receptus, Choppinus de doman. Franc. lib. 2. tit. 2. num. 7.
 solemnus verò Ducibus Sabaudia, Vanderburgh. lib. 1. histor. genilit. Sabau-
 dorum p. 36. ex instituto Petri Comitæ Sabaud.) fortunam auream quoque,
 quæ in cubiculo Præncipis posita erat, ad eos transferri juberent, Cabotius
 i. disput. juris publ. 8. Et uti omnes etiam talem designationem probarent,
 plerunq; convocabant Senatum & Legiones, & in Imperio Orientis, Pa-
 triarcham: & de eâ designatione in Concilio orationem habebant, vid.
 Cabot. d. lo.*

VII.

Translato dein ad Germanos Imperii a) axiomate, idem
 institutum nostri quoq; Imperatores sæpiùs tenuerunt. b)

a) Verè Hæruscus scriptor in libel. de statu German. quadruplicem in
 Imperio ordinem, causam esse tranquillitatis & diurnitatis Imperii Ger-
 manici: proinde Statum Imperii nostri ob harmonicam istam administra-
 tionem maximoperè laudant Paolo Paruta della perfezione di vita Polit. fol.
 470. & fol. 463. Fab. Albergati disputat. contra Bodinum, Thuanus lib. 2. histor.
 Num verò Status ille, qui in Comitibus & deputatorum Electorum, Princi-
 pum ac Ordinum conventu introducto, & subinde numero Principum
 aucto cernitur, verè Aristocraticus sit? prudentiorum est judicare: Electo-
 res, Moguntinus & Mauritius Saxo, Aristocraticum dixere, licet videatur,
 quòd deputati tantum ea expedire possint, quæ lege concessa sunt, vel de-

) ((

ereto totius Imperii dijudicantur, non quod etiam contra constitutiones publicas absque consensu reliquorum Principum quicquam statuere ac sumptus in conventum factos à reliquis circuloꝝ Ordinibus repetere possint, Everhard. à Weihe de reg. elect. ac success. De verâ notâ Statuum Imperii, vid. Eberh. Junior. conf. 12. vol. 1. Gail. de arrest. c. 6. n. 29. Knichen de jure Saxonico. c. 6. Quinam Status etiam habeant jus Archivi, vid. Rulandt de commiss. lib. 5. c. 4. p. 2. Inter quos cum multæ controversiæ de sessionibus orientur, veriùs illæ ex solâ possessione vel quasi deciduntur, præjudicio in causâ Ducum Florent. & Ferrar. attestante, Modestinus Pistor. conf. 51. lib. 1. Decianus respons. 84. vol. 5. per tradita Baldi in c. cum olim. de consuetud. Dissent. Fichardus conf. 77. n. 16. Status autem Imperii post Imper. & Regem Roman. sunt Electores utriusq; Ordinis Ecclesiast. & Secular. Principes, Abbates, Prælati, Comites, Barones, & Liberæ Civitates, in decem circulos Colonia Anno 1512. distincti, qui in Comitibus & præsentationibus Cameralibus rediguntur ad sex, Ordinat. Camer. p. 1. r. 2. quibus circulis præsumt duo Principes, Secularis alter & alter Ecclesiasticus, vulgò dicti *Musschrethende Fürsten* / Rulandt de commiss. d. loc. Cur autem circuli instituti fuerint, causæ perhibentur: I. Ut esset unde Senatus Imperii, qui olim summâ curâ auctoritate jus dicebat, suppleretur, *Reichsabscheide de Anno 1500. c. 4.* II. Ut paci publicæ consuleretur, monetæ probarentur & reprobarentur, leges Imperii, latæque sententiæ executioni demandarentur, *Reichsabscheide de Anno 1512. §. Darauß haben wir. & de anno 1522. c. 1.* Nam circuloꝝ consilia nullam ferè jurisdictionem; sed deliberationem duntaxat de modo executionis & ordinanda re bellicâ, auxiliisq; manu armatâ expediendis, habent, Thuanus lib. 2. histor. ubi tertiam adsignat rationem, uti essent communia consilia, quibus crebræ de finibus & juribus inter Status controversiæ exortæ finirentur. De Electoribus vid. *inf. thes. 10.* Inter Principes Ecclesiasticos eminent Archiepiscopi, inter quos Primas Germaniæ, Magdeburgensis, quicquid ineptiat Joannes Azorius Loritanus Hispan. qui *tom. 2. institut. moral. c. 35.* dignitatem illam Archiepiscopo Salisburgensi adjudicat, Arnoldus de Reiger orat. de Archiepisc. boni officio. vid. Schrad. tom. 8. conf. 1. Ducibus & Landgraviis olim debebant quindecim Comites subesse, Pithæus lib. 1. advers. c. 8. vid. Franc. Mignon ad consuet. Andegavens. fol. 1. col. 3. lat. 2. n. 3. quod tamen hodie non attenditur, Rulandt d. lo. n. 25. Quod autem Ducis & Comitis dignitatem non habens, per nudam nominationem Dux & Comes non fiat, respondit Schrad. conf. 15. n. 8. lib. 1. per clem. si summus. extr. sentent. excom. & doctrin. Tiraquelli de nobilit. cap. 6. Econtrâ verò, quod Dux & Comes amissurus dignitatem cum jurisdictione, per novam superioris nominationem & tituli Ducis vel Comitis attributum maneat in Ducatu, defendit ibidem Schrad. n. 8. & 9. per gl. c. Dominus. verb. Sacrilegium. distinct. 93. De Comitibus, Baronibus & Nobilibus vid. Rulandt d. loc. *Plurimis autem Rebus publicis atq; potentibus* (verba sunt Bilibaldi Birckeimeri Epist. ad Ioann. Baptist. Egnat. Venet. de censurâ Rerump. German. inter opera ejus Politica p. 201.) fuit olim ornata Germania: quarum major pars pessundata est cum Tyrannorum violentiâ, tum regiminis perversitate. Præcipuè verò illas adflixit Episcoporum insolentia ac avaritia, non secus ac flamma quædam cuncta hauriens. Cum enim Imp. præsci, Principum consilio verè pernicioso, jus quod ipsi in civitatibus habebant Imperialibus, Episcopis concessissent, illi haut segniter tanto minere cessant, sed cum primùm plebem contra Optimates insuassent, brevi eos ubique expulserunt.

cēre; ac inde stulto oppresso populo, omnia sua ditioni subjecere. Nec secus Tyranni egere cum iis civitatibus, quas vel vi oppresserant, vel pignoris loco, vel precario a Caesaribus acceperant, quamvis non desuerint, quae sibi consuetudine, ac vim illam vā repellere ausae fuerint. Hodieq; verē multas civitates (inquit Waremundus ab Erenberg lib. 2. de fœder. n. 39.) habere iura Principatus, rem scilicet, licet non nomen, dicendum est: Appellaveris itaq; pro lubitu quod tenent. Tam autem simile est juri Principatus, ac ovum ovo. Deplorandum, ignavos, avaros Principes talia concessisse. Verūm uti Imperatores Principibus, sic Principes Civitatibus infinita tribuerunt, quae meliùs resinissent, de quo conquestus jamdudum Julius Pflug dissert. de Imp. Roman. b) Hac ratione enim Ludovicus Pius à Karolo Magno: Ottones tres priores, quinque Henrici, 2. 3. 4. 5. & 6. Fridericus II. Wenceslaus, Maximilianus I. & II. Ferdinandus, & praesens augustissimus Imperator Rodolphus II. Imperii successores destinati fuerunt. Heig. 1. 7. 6. Petrus Justinianus de reb. Venetis lib. 23.

II X.

Eaq; haftenus ita obtinebant, donec Karolus Quartus pragmaticā lege promulgatā, a) quam Auream Bullam vocant, Caput hoc Juris Publici inter alia, licet obscure ferē, breviterq;, expressim b) definiret.

a) Cū enim videret, multa in Conventibus Imperial. sine ordine geri, nec satis ad liquidum constaret, quo quisq; more res in coetu administraret, curavit omnia reformanda, ut ait Krantzius lib. 9. Saxon. c. 29. Philippus Bergomas in Chron. ad annum Christi 1362. aureaq; bullā literas desuper iussit decerni, Krantzius d. lo. cū olim ante coronationem magno sigillo uterentur. Francisc. Marci decis. 938. b) Non mutat, quod bulla nostra confundat nomen Regis atque Imperatoris, minusque Latinè & propriè Regem vocitet Imperatorem, id quod in libris feudorum etiam videre est, (cū tamē Rex Romanorum secundus sit ab Imperatore, & postmodū in Imperatorem promovendus, c. in nomine Domini. dist. 23. Ita Monachus S. Justinæ Paduanæ lib. 1. de reb. in Insubr. & Eugan. gest. scribit, Fridericum & Guilielmum Hollandum electos in Reges Alemanniae & in futuros Imperatores:) disponens enim censetur velle id, quod fieri consuetum est, Cravetta de antiquis. temp. p. 493. n. 119. multaq; in lege praesumuntur, Turell. conf. 7. in decis. Rotæ Bononiens. ad auth. praeterea. c. unde vir & uxor. facit, quod quando ratio vel unica reddi potest, totum comprehendat quod sub ratione illā venit, Anton. Giavarinus in consil. ad d. authent. n. 2. cū etiam falsa Latinitas actum non vitiet, Ciofius vol. 2. consil. 42. n. 5. Reges aliās alii superiorem non recognoscentes videntur majori plenitudine potestatis uti, quā Imperator in Imperio, cū regna plerunq; ad posteros transmittant, Matthias Stephani de jurisd. p. 1. c. 2. lib. 2. Unde & eis competunt nomina Imperatorum, Peregrinus Janovinus de citat. reali lib. 1. n. 723. An verò Rex Galliae Imperatorem superiorem recognoscat, vid. negantes Igneum pecul. disp. de hoc arg. Ferald. de jur. & privi. regni Franc. n. 1. 2. & seqq. An etiam Rex Hispaniae totum continens in suo regno sit, vid. adfirmant. Guilielm. de Monteferrato de success. reg. dub. 1. n. 40. & seqq. Belluga in specul. Princip. rubr. 14. §. veniamus. n. 30. & seqq. & quae ibi not. Camillus Borcellus ad rubr. 6. lit. c. contra quos omnes disputat Canonherius lib. 1. discurs. in



Tacit. p. 73. Eâ re, Regi externo jus non esse exercere Imperii majestatem sub Imperio Romano, adeoque præter fas Ladislaum Regem Ungariæ evexisse Wiennæ Austriæ ad Principatum Joannem Hunniadem, notat Æneas Sylvius in *Europ.* p. 16. Commune etiam propemodùm omnibus Regibus est, uti Regiæ stirpis decus repetiti cognominis auspicio retineant, quo de vid. Choppin. de *doman. Franc.* lib. 2. tit. 3. num. 4. familiaria sepulchra, Choppinus *ibidem* lib. 3. t. 1. n. 3. regiasq; avitas habeant, Ferrius de *præfectura S. Prætorii c. ult.* p. 274. in quas utilis est attentio: quia enim & mutant & munimentum ferè gentium aut Regum & historiæ retinent, Ferrius *ibid.* quin alicubi etiam tanto jure sunt, ut mittant in possessionem totius regni, alicubi & idè in titulum regni abierint, Ferrius *d. lo. ubi exemplis ex historiâ Judæorum, Romanorum, Hispanorum, Germanorum, Turcarum petitis illustrat.*

I X.

Proinde cùm Karolina ista sanctio magnâ religione in Germaniâ nostrâ servari soleat, a) dubitatur, utrùm interpretationi b) nostri argumenti strictim inhærendum, an verò aliquid ei adjuvando ex jure communi capiendum sit? c)

a) Quod scribit Thuanus *lib. 2. histor.* licet τὰ ἐπινοήματα ejus eunomia quandoque variaverint, hodieq; variant: scilicet legum opportunitates & medelæ pro temporum moribus & pro Rerum publ. generibus, ac pro utilitatum præsentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum est, fervoribus mutantur atq; flectuntur, neque uno statu consistunt, quin ut facies cœli & maris, ita rerum & fortunæ tempestatibus, mutantur & flectantur, Africanus apud Agell. *lib. 20. c. 1.* faciunt notata Beroi *conf. 1. lib. 1. de Coronatione Karoli Quinti extra Romam faciendâ.* Sic in locum jurium der Reis vnd Folge collectæ successerunt, Symph. *observ. Cameral. p. 1. tom. 2. vol. 1. n. 60.* Rulandt. *de commiss. p. 4. tit. de Interrogat. regal. n. 8.* De conventu primo Imperiali Noribergæ indicendo vid. *Bryckeimeri orat. ad Karol. V. inter opera ejus Politica, p. 198.* b) Quod naturale est in quacunq; nomothesiâ, Doviatus in *respons. Ictorum natural. resp. 8.* Camillus Gallinius de *Verb. Sign. lib. 9. per tot.* c) Id quod dicendum videtur, cùm jus commune sit veluti commune elementum, ad quod omnium regnorum statuta exigantur. Choppinus de *doman. Franc. lib. 3. in fin. in explicat. doman. Polon.* vid. omninò Rogerius Comes de *excellentiâ Juris Civilis lib. 1. c. 4.* Et ita Reges Arragonum q. ad literam secundùm jus commune viuentes post Bald. laudat Cueva *decis. 11. n. 15.* Quomodo etiam Ordinationes Imperii interpretandas esse notat Mynsing. *conf. 15. n. 2.* quò minus lædant jus commune: cùm omnia statuta interpretationem recipiant: à jure communi, Alderanus Mascardus *concl. 2. de statut. post DD. in Lomnes populi. de Justit. & Jur.* Quatenus verò statuta ex jure communi quod corrigunt recipiant interpretationem, vid. noviter contra Laderchium distinguentem Turamin. *epistol. forens. 24.* Quæ verò Pontifex in *c. venerabilem. extr. elect. c. ad Apostolicæ. de re jud. in 6. c. un. de jurejur.* magno abusu spiritualis potestatis, per trad. Rebuffi de *concord. Cathol. cum Rege Galliar. tit. de Elect. derogat. verb. per abusum.* inordinate Ludovicus de Miranda de *process. judic. q. 2. art. 3.* constituit, cave admiseris. *arg. l. 4. & qua ibi notat Saporus de Verb. Sig.* Et hac ratione, cùm ex usurpationibus istis Pontificiis magnæ olim Imperii atq; Ecclesiæ scissuræ exortæ fuerint, rectè

rectè scribit Pandulphus Colleutus *lib. 4. hist. Neapol. in vitâ Frider. II. Imp.*
Nihil excellenter malum in Ecclesiâ & Imperio perpetrari, cujus prima origo non dependeat à sacerdotibus.

X.

Jus a) autem eligendi b) Regem nostrum penes solos c) residet Electores. d)

a) Electorum, Electoraliumque officiorum origo rectè nuncupatur Ottoni III. qui cum destitueretur mascula prole, ut occurreret Italorum contentionibus & seditionibus, & quò firmitus Imperium apud Germanos conservaretur, sanxit, ne omnibus indistinctè competere jus & potestas eligendi Imperatorem, sed illis duntaxat, quos ipse esset designaturus. Quam institutionem Electoriam Ottoni III. communi calculo attributam non refellit, quòd post Ottonem III. omnes Principes Imperii electionibus Imperatorum interfuerint usq; ad Rodolph. I. imò usq; ad Karol. IV. hoc enim introductum fuit Bullâ Henrici II. Unde ex observantiâ inferri nequit, quasi nunquam id fuerit sancitum. Cur verò non facilè potuerit effectum sortiri constitutio Ottoniana, factum est partim Imperatorum, partim reliquorum Principum culpâ atq; adfectione, cum verisimile sit, ipsis etiâ Electoribus non cordi fuisse effectui mandare illam sanctionem, dum Archiepiscopi ad Rhenum vicarios se Imperii tùm temporis profitebantur, & multo interstitio de Imperatoribus soli constituebant, non evocatis Principibus, Krantzius *lib. 8. Saxon. cap. 21.* Præterea, cum plurimarum electionum magna diversitas fuerit, ex illâ discrepantiâ nulla conciliari potest consuetudo atq; illatio, q. ab Ottone III. sancitum, ut omnes Imperii Principes jus & potestatem eligendi Imperatorem sibi vindicarent: contrarium enim evincunt diplomata Impp. epistolæ Papæ atq; Electorum, de quibus apud Naucler. Cuspinianum. Quod etiam Heigius scribit, Electionis fastigium initio constituisse occultis initiis, & Ludovicum Bavarum primùm constituisse, ut Electores jam olim designati sibi manciparent vocem electionis, ex illâ constitutione probari non potest, cum illa disponat, uti quem elegerint Imperatorem Electores, Imperator dicatur sine confirmatione Pontificis, quâ de re disceptatio suborta erat. Deinde aureâ bullâ Karoli Quarti minimè cautum, uti Electores alii submoverentur, quando quidem ipse Karolus à patre suo Joanne Rege Bohemiæ, consentientibus Electoribus Ecclesiasticis, & Rodolpho Saxonix Duce designatus fuit Imp. Knichen *de jure Saxon. c. 1. 2. per tot.* ad observantiam tamen strictam redactum fuit numerus septenus, adeò, uti cum Maximil. I. expecterit, uti Archiduces Austriæ juris suffragationis compotes redderentur, repulsam tulerit. Septem etiam designati fuerunt, quia hic numerus sacer semper & absolutus fuit habitus. Knichen *de jure Saxon. c. 1. per tot.* Ob singularem etiam adfectionem Impp. Electores (cum aliàs quoque in Bullâ nostrâ Karolinâ insignibus nominibus decorentur) appellarunt Nepotes, ut videre est ex reformatione Friderici III. facta Francofurti anno 1442. licet ob civilem adfectionem id fieri notet Heigius *1. quest. 4. n. 62.* Politicis verò Electoribus Ecclesiastici adjuncti fuerunt, inquit Julius Pflug *orat. de Imp. Roman.* quò minus esset loci ambitioni in Comitibus Imperatoris: cum enim quatuor essent illorum, qui non solum suffragium ferre, sed etiam ipsum Magistratū more majorū inire possent: his tres alii, qui suffra-

gia quidē ferre, sed tamē eligi minimē possent, eō quōd Ecclesiastici essent ordinis, additi fuerūt; qui eō minū cupiditate pravā se corrumpi & transversum agi se paterentur, quōd causam non haberent, cur Diadema Imperatorium ipsi ambirent. Julius Pflug *d. loc.* Cæterum, officia Imperialia spectant ad Ecclesiasticos & Politicos Electores: ad illos, qui jam olim rerum potiebantur, pervenit munus Archicancellarii (quod nomen antiquum sit, vide Vivientem *ad laicum introitum Karoli Quinti, verb. Cancellar.*) perpetuò post divisionem Regni Germanici & Gallici: cum etiam Karolū Magi temporib. illud officiū, teste Crusio *annal. Suevic. p. 1. lib. 11. c. 4.* in usū fuerit. Unde Onuphrius Panvinius Archicancellariorū istorū institutionē paulò antè vel potius circa Ottonis Magni ævum natam autumat. Si enim Italiam ingrediebatur Imperator, Coloniensis privilegia, diplomata Imperialia subseribebat, per quem etiam edebantur. Henricus verò Claudus sanxit, uti Electores Politici officio Dapiferi, Mareschalli, Camerarii, Pincernæ agnoscerent, fiducia lege ab Episcopo Bambergensi: quod hodieq; quoties Episcopus designatur, observari constat: nam mandatarius Electoris petit investituram more hæcenus insolito: Episcopus respondet, se investituram concedere more solito. Knichen *de iure Saxon. cap. 1. 2. per tot.* Præfatis verò Prætorio rectius & verius comparantur apud Turcas duo Belerbei, alter Thraciæ, i. e. Romanix, & alter Asiæ, i. e. Anatoliæ, Pancirolius *ad nos. Imp. Romani c. 12. in fin.* quàm nostri Electores: Etsi enim quæ unum atq; alterum conveniant, qua alia tamen, toto cœlo differunt, Casaubon. apud Vopisc. *in vit. Car. Carin. Num. Scip. Gentil. disput. de Regal. thes. 157. & 158.* b) ut etiam jus deponendi, cessionis atq; abdicationis accipiendæ: qualis actus fuit Karoli V. qui admissus ab Electoribus vim legis obtinet, ita ut sequentibus Romanis Imp. idem facere satagentibus, incumbat renunciare Imperio in manus Electorum, perinde ac id lege sancitum esset. Schrad *de feud. p. 1. sect. 3. n. 177. & seqq.* c) Adeò uti regulariter Imperator etiam huic Electioni interesse non possit, cum eligant, qui sunt de collegio, Decian. *conf. 93. n. 15. vol. 5.* faciunt quæ de Electione Prælatorum notat Mandagotus *de Elect. c. 13.* maximè si efflagitet Electionem, ne scilicet jus suffragiorum imminuatur, quod in Electione Ferdinandi Imp. præterdit Joannes Elector Saxonix, Heigius *1. quest. 6. n. 44.* cum Electio liberè etiam faciendā sit, Maleretus *de Elect. liberè facta. n. 36.* Est tamen Imp. in q. possessione votandi constitutus, adquisitionē per unicum actum (quem hic valere notat Gutierrez. *conf. 3. n. 1.*) Federici III. in electione Maximil. I. Auctor consilii *de Elect. Regis Rom. ad Cardin. Moguntin. Albert. Brandenburgic.* quæ possessionē insequentibus Imp. hæcenus continuarunt Heig. *lib. 1. q. 6.* d) Inter Electores primus est Moguntinus, cujus est reliquos convocare, unde & Decanus Electorum vocatur, *vid. inf. thes. 17.* ad quem olim etiam spectavit coronare Regem Boheimix. Secundus est Trevirensis, Archicancellarius per Galliam & Regnum Arelatense. Labitur autem Gregor. Tholosanus *6. de Rep. 13. n. 25.* qui dum scribit auctore quodam scriptore Italico, Moguntinum nomine Germanix, Trevirensis nomine Gallix eligere, infert, Trevirensis Gallix nomine Electionis munere fungi, verum suo arbitrio sine mandato Regis Galliarum: Condonandum etiam Abbati Stadeni, qui Trevirensis Germanum sive Alemannum non censet. Inter Politicos Electores primus est Palatinus; quæ dignitas olim variis expressa fuit nominibus: & quemadmodum ea Francorum Regibus exitiosa fuit

fuit: cum eâ adminiculante eorum conditio planè servilis effecta fuerit, uti Reges nil nisi præter nomen tenuerint: Ita postmodùm in ordinem revocata, emergente verâ autocratiâ, nomen remansit, officio & administratione cessantibus. Palatini verò munus perhibetur, uti electo Imp. pomum seu globum aureum præferat, quod est Imperii insigne præcipuum, cujus initium tribuitur Justiniano Imp. à Frehero *c. 15. orig. Palat.* ubi subjicit, Karoli V. concessione Fridericum II. Electorem vacuo clypeo inseruisse pomum aureum seu globum crucigerum, imitatione collegarum Saxonis & Brandenburgici, qui officiorum insignia etiam gestant. Præter vicarium Imperii quoq; Interregno existente, Electori Palatino controversiæ intercedentis inter Imp. & Principes vel alios competit cognitio: Ita interfecto Adolpho Rege Roman. Electores contra Albertum Regem Romanorum elegerunt Rudolphum Comit. Palatin. in judicem, dicentes, officium esse Palatinæ dignitatis ex quadâ consuetudine, cognoscere de causis, quæ ipsi Regi movebantur: id quod postea confirmatum aureâ bullâ Karoli IV. An autem hodieq; Palatinus in causis gravatoris Cæsaris iudex sit, quæritur? & affirmandum videtur. Secundum locum obtinet Elector Saxonie, qui & Archimarschallus creatus ab Ottone III. ob strenuam navatâ operam à Bernhardo seu Bennone Duce Saxon. & Lüneburg. contra Crescentium. Quæ dignitas in quinque familiis continuata: 1. Ducum Lüneburgens. 2. Lotharii Comitis Supplenburgici, postea Imperatoris. 3. Ducum Bavarie ex Guelphis. 4. Principum Anhaltinorum, ex quâ familiâ octo Electores prodierunt, cum 227. annos penes illas perduraverit. Deniq; Marchionum Misnie, Friderico I. conditore & dignitatem hanc in gentem suam invehente. Krantzius tamen *lib. 2. Saxon. cap. 28. & lib. 9. cap. 19.* scribit, non sine injuriâ Principum Anhaltinorum vel Ducum Lauenburgensium, Sigismundum Imp. Ducatum atq; Electoratum Saxonie concessisse Friderico Misnensi: quod refutatum ixit Knichen *d. lo. c. 2.* Elector autem Saxonie præfert ensen nudatum & strictum Imperatori, in signum justitiæ, cujus etiâ insignia sunt duo gladii decussatim compositi. Tertius est Marchio Brandenburgens. Archicamerarius, quorum primus Hugo ex Comitibus Vetinensibus, quæ dignitas postea ad quinque familias pervenit: 1. ad Comit. Stadens. 2. Comites Ascanie, unde Principes Anhaltini. 3. Comit. Palatinos à Wittelsbach. 4. Duces Lüneburgens. 5. Comites à Zollern/ & Burggravios Noribergenses. Marchio verò Brandenburgensis Imperatori, quando coronatur, sceptrum in argumentum gubernationis præfert: cum verò Regalia feuda confert, alius etiam eo officio fungi potest: quo modo controversiam in alterâ coronatione Karoli Quarti inter Marchion. Brandenburgens. & Juliacens. exortam, directam & compositam fuisse scribit Henricus Monachus in Rebdorff *in Chronic. ad annum Chr. 1348.* Quartus Elector est Rex Bohemie: qui temporibus Ottonis III. Dux existens, Pincerna Imperii & Elector creatus fuit: quod confirmavit bulla Henrici II. itemque Rudolphus I. Wenceslaum generum suum Regem Bohemie creavit, eique Electoratum cum officio pocillandi confirmavit: quæ confirmatio est relatio ad aliud prius quæ situm, refutatque Beuterum, existimantem paulò ante Karoli Quarti tempora hoc munus institutum fuisse. Eo verò tempore, quo Dux Rex creatus fuit, ibi mediator & palæmon votorum Electoralium constitutus videtur: cum enim nonnihil decedere videbatur dignitati, uti ultimum re-

ferret.

ferret votum, fortean cæteri Electores id juris ipsi detulerunt, vel Rex sibi ipsi adfectavit, uti Electioni quidem interesset, non autem voto Regem designaret. Sunt tamen, qui cum primum locum inter Electores obtinuisse scribunt, prout etiam plenarium jus eligendi Imp. non secus ac cæteris Electoribus ei competuisse, diplomatibus demonstrari potest. Præterea, Karolus Quartus in suâ bullâ tertium votû illi adsignat, pœnâ sancitâ si non vocetur: quam pœnam incurrerunt Electores in elect. Maximil. I. ob mutuas inimicitias Frider. III. Imp. & Ladislai Regis Bohemiæ, eamque pœnam ille vindicabat acriter, minitendo se ad arma convolaturum, nec cedere volebat, nisi obsequium, quo Imperatori in Italiam proficiscenti adstringitur, remitteretur, aut ipsi liceret ejus vice 800. ducatorum exolvere: quod cum recusassent Electores, transactione inita convenit, ne sub pœnâ 500. marcarum auri puri Reges Bohemiæ in posterum excluderentur: & ita Ladislaus electionem Maximil. I. ratam habebat. In cæteris verò Rex Bohemiæ exemptus censetur, unde Comitibus & conventibus non interest, nulla ipsi intercedit *quæstio* cum Electoribus quam inter se colunt. Knich. *d. lo.*

XI.

Utrum verò Electio hæc spectet ad Principes Electores, ut ad collegium, an verò uti ad singulos? quæritur: Et pro illo concludo.

Liipoldus de Babenberg *de jurib. Regni c. 3.* Petrus de Andlo *de Imp. Roman. c. 3.* Electores enim repræsentant, & vices tenent omnium ordinum Imperii, adeoq; Universitatis, proinde Electio ab illis facta haberi & censi debet, ac si tota Universitas eam fecisset, *l. item eorum. §. si Decuriones. D. quod cujusq; univers. nomine.* Trentacinquius *lib. 1. variar. resol. tit. quod cujusque univers. nomine.* cum quod majori parti Universitatis placuit, aliis displicere non debet, *l. 56. D. ad municip. Losæus de jure univers. p. 1. c. 3.* quo de vide in utramq; partem disputantem Vinc. de Franch. *decis. 2. per tot. & decis. 43. p. 1.* item ea quæ notant Compilatores, Lud. Grempius, &c. *der Sum vnd jnhalt aller vndergegebenen Acten der ehrbaren Frey vnd Reichs Stätt session vnd stüm betrefsend.* Quâ ratione jus ad crescendi locum habere in vocibus edendis & suffragiis ferendis, post Br. & Bl. scribit Monspel. *consil. 56. n. 7.* Krantzius tamen *lib. 9. Sax. c. 15.* refert constitutionem Ludovici Bavari, quâ Electio à saniori parte facta, præfertur majori: & ita respondit Alphonsus de Azvedo *consil. 39. n. 17.* quibus adde quæ notat Modestinus Pistoris *vol. 2. consil. 44. per tot.* Proinde Electionem etiam unius valere, si omnes alii eligentes scienter indignum elegerint, post Panormit. probat Wamel. *consil. 18. n. 13.* faciunt notat. Menochii *lib. 6. de presumpt. 85. n. 1.* Si in Electione dissentiant, statur sententiæ majoris partis: nisi pro minori parte major sit ratio & pietas, Menoch. *d. lo. n. 5.* vel minor pars eligentium habeat vires prudentiores, *Ibid.* Et veritas hujus Electionis, recensente Paciano *lib. 2. de probat. c. 72. n. 30.* plus operatur quàm possessio Imperii. Cum verò duo electi sunt in discordiâ, tunc quemlibet administrare, donec declaretur, ejus electio sit validior, & privilegium ab altero concessum valere & subsistere, qualiscunque exitus quæstionis futurus sit, post Oldrad. *consil. 22.* notat Martinus de Cazariis *tr. de Principe p. 6.* quò pertinent tradita Schraderi *de feud. part. 4. c. 1. num. 13. & seqq.* Atq; ita civitatem Francofurtum ante hominum memoriam eo privilegio communitam esse scribit Krantzius *lib. 9. Saxon. cap. 26.*

cap. 26. uti Regem discordiâ electum, qui competitorem patiatur, non antequam admittat in urbem, priusquam novem septimanis obsidione perurgeat; ut per hoc tempus digladiantur inter se Reges, & superior vel gladio vel jure factus in urbem suscipiatur: id quod observatum litigiis vertentibus inter Henric. Landgrav. Thuring. & Conradum Frider. II. Filium: Ludovicum Bavarum & Fridericum Austriacum: Karolum Quartum & Guntherum Schwartzenburgicum, post Munster. Krantz. Chron. Hassiæ p. 1. p. 56. 57. An verò isti in discidiis electi sese invicem provocare possunt? Quod affirmaverim, si duellum illud tenderet ad evitanda majora discrimina & componendos impendentes motus, atque ita dissipationem Imperii averteret: Alciatus de duello c. 34. ubi etiam admittit, si contentio sit super injuriâ illatâ, & quæstio personalis agitur: licet controversias singulari certamine dirimere magis turmales Equites, quam Principes deceat, Guicciardinus lib. 18. histor. At Lüpoldus de Babenberg de jur. Reg. cap. II. scribit, discordias ejusmodi Electorum decidi posse per Papam de solemnitate, non de juris necessitate, quales fuerint approbationes Henrici VII. & Alberti Austriaci.

XII.

Cum etiam in quibuscunque actibus collegiorum exercendis perpetuò obtrineat, uti separatim singulos consentire haut sufficiat, a) sed ut convocati communiter consensum præstent; b) quæstionis est, an per alium, quam Moguntinum Electorem c) citatio ista ad creandum Regem Romanorum institui possit?

a) l. 2. c. Decurion. lib. 10. c. cum omnes. extr. de consuet. Corraf. de offic. & elect. num. 11. Antonius Faber in Cod. decis. forens. lib. 1. t. 3. definit. 42. communem & magis communem dicit Hieron. à Cævall. in specul. opinion. q. 476. b) Aliàs enim Universitas non dicitur legitime congregata, Losæus de jur. univers. p. 1. c. 3. n. 82. Wames. cons. 16. n. 12. ut. de Elect. & Universitatis nomine actum non dicitur, quod agunt particulares, etiamsi omnes agant, nisi eâ congregatâ. Flamin. de Rubeis cons. 69. n. 20. lib. 1. c) Regulariter citatio spectat ad Moguntinum. per text. Aur. Bulla in §. præterea statuimus. c. 1. Neq; obstat §. ceterum. quòd Imperio vacante duntaxat citare possit: quia in d. Bullâ duobus locis dicitur de convocazione Electorum, sc. in d. §. & §. præterea. c. 1. sub tit. Qualis debeat esse conductus Electorum. cui subicitur d. §. præterea. qui ad omnia præcedentia refertur, arg. c. secundò requiritur. de appellat. l. quoties. D. famil. ercisc. & per tradita Tobix Nonii consil. 14. n. 10. & consil. 19. n. 10. Deinde ex consuetudine, quæ quamvis dispositionem interpretatur, Mazollus consil. 16. n. 61. a deo que etiam extenditur, cum agitur de interpretatione aut declaratione alicujus actus, Crayetta de antiqui. temp. p. 310. n. 49. Lanarius consil. 3. n. 6. Rupertus verò Palatinus in electione Ludovici Bavari citationem instituit, Krantz. lib. 9. Saxon. 3.

XIII.

Præterea dubitatur, cum Electionis negotium per Procuratores aliàs explicari non possit, a) sed in eo personæ industria electa censeatur, b) utrum hinc etiam Electores

(())

personaliter comparere necesse habeant, an verò legatos atq;
Procuratores suos mittere possint? c)

a) *c. quia propter. §. illud confirmat. extr. de Elect. Guilielmus de Mandagoto de Elect. c. 28.* b) *c. is cui, de offic. deleg. in 6.* Præsertim cum negotium arduum est, uti hîc, Rodolphinus de Sabloneta *de Elect. n. 45. 46. post Iason. l. à Iudice. C. de Iudic.* quæ personæ industria in dubio etiam electa censetur, Idem *d. lo. n. 54.* proinde iuramentum quoq; calumniæ in rebus arduis per ipsas personas principales esse præstandum notat Waremundus ab Erenberg *lib. 2. de fed.* c) De Procuratoribus mittendis loquitur Bulla nostra *c. 19. & consuetudo aliàs in contrarium est, quam hîc valere notat Palletus in addit. ad Pacian. lib. 2. de probat. c. 30.* Num verò Rex vel alius Illustris quispiam ad causam dicendam ab Imp. citatus, personaliter comparere teneatur, vid. Beroum *conf. 18. n. 109. vol. 3.*

X I V.

Si minorennis sit Elector, eum absq; consensu curatorum Procuratores constituere posse, præjudicium obfirmat Ladislai Bohemiæ Regis in electione Friderici III.

Auctor *consil. de Election. Regis Roman. ad Albert. Cardinal. Moguntin. per trad. gl. in l. 3. §. minores. D. qui per tut. Br. in l. neque tutores. C. procurat. faciunt* notata Paciani *conf. 151. n. 8. post Bl. Natam Tirag.* quòd persona legitima nõ requiratur, si denunciatio tendit ad jus conservandum. Cuiam verò administratio Regni in pupillari ætate competat, vid. Francisc. à Caldas *ad l. si curatorem. verb. hunc contractum. n. 45. & 48. C. restit. minor. Gutierrez. de tutel. part. 1. c. 18.* qui existimant, administrationem ad agnatum proximum habilem ætate & iudicio pertinere. Quinam verò deficiente patris iudicio Regi aut Illustri personæ tutore eligant, vid. *ibid.* apud Gutierrez *d. lo. n. 20. ubi n. 44.* defendit matrem, aliosq; legitimos tutores Regum & Illustrium personarum teneri satisfacere, Illustrium pupillorû res salvas mansuras esse per doctrinam Alberici *ad l. de creationib. vers. fin. autem. C. Episc. aud. & Chasfanci ad Consuetud. Burgund. rubr. 6. §. 4. verb. caution. n. 4.* An verò Arcadius Imperator prudenter fecerit, quòd filii sui tutelam Regi Persarum commiserit, negat rectè contra Procop. Petrus Bizarus *de reb. Persic. lib. 4.*

X V.

In Electione Regis Romanorum cum primis qualitas & idoneitas a) ejus in considerationem est devocanda: & licet virtutis b) potissima ratio haberi debeat, nisi tamen illa simul potentiâ c) subnixâ sit, Majestatem Imperii factam rectamque vix conservari posse existimavit in Elect. Imp. Karol. V. d) Fridericus Sapiens Elector Saxoniae.

a) Lupoldus de Babenberg *de iurib. Regni c. 10. & seqq.* b) *Regnorum enim fortuna & status virtuti paret regnantium: & tantum Regni cujuslibet gloriam ampliari non posse dubites, quantum in Principe virtutis esse cognoveris,* ait egregiè Hugo Falcandus *lib. de reb. Sicul. in laudibus Rogerii Regis:* atq; ita ab Archiepiscopo Moguntino Rudolphum Habsburgium Regem electum, quòd sapientia & strenuitas divinis præferenda sit, scribit Albertus Argent-

gentinent. in *Chron.* quo modo *Henrici Septimi* virtus quam ma-
 mis instructius fuisse prodidit *Conradus Vercerius* in *ejus vita.* c) Interest
 enim Reipubl. per ditiores regi, *Petrutius à Montesperello* *conf. 24. n. 3.* ubi
 multis exornat: Unde ditiores præferuntur, si quæstio sit inter pares, *Mel-*
chior Alciatus *ir. de præcedentiâ. n. 80.* *Caduca enim res est mundalis honos, nisi*
divitiis sustentetur: quæ sunt fidejussores futuris necessitatibus, & sine quibus mor-
tua mortalis dignitas, *Bonus de Curtili de Nobilit. p. 3. col. fin.* *Nævizanus* in *hyl-*
vâ Nupt. lib. 4. num. 111. & seq. Eâ re factum, uti futuris successoribus apud
 multas gentes domania adsignarentur atque canones dominici, qui tes-
 feram pariter symbolumque generent supremi dominatus, *Choppinus de*
doman. Franc. lib. 1. tit. 1. & veluti auguria essent proximè obventuri Regni,
Buchananus de reb. Scot. lib. 6. quæ omnis loco & in subsidium caperent,
Clapmar. de jur. publ. n. 36. veluti apud Gallos primogeniti donantur *Del-*
phinatu Viennensi: in Anglia olim *Ducatu Normanniæ,* hodiè *Principatu*
Walliæ: in Cypro *Principatu Galileæ:* in Arragoniâ *Principatu Gerundæ &*
gubernatione Arragoniæ: in Regno Neapolitano *Ducatu Calabriæ:* in Tu-
 neto Regno *Constantinæ:* in Scotiâ *Præfecturâ Cumbriæ:* in Castilia *Princi-*
patu Austuriarum, *Cabotius disputat. juris publ. & priv. lib. 1. cap. 11.* Proinde
 Publica Felicitas inclutam domum Austriacam virtute & potentiâ maximè
 conspicuam admovit Imperio Orbis terræ: *Eberh. à Weihe dissert. de Reg.*
succeß. & elect. natam quippe ad tutelam generis humani, *Gerhardus de Roo* in
annal. Austri. lib. 1. cap. 1. & quæ una Domus vires & onus susciperet Orbis
 Christiani, *Pighius* in *Hercule Prodigio:* quam rei summam summi Imperii
 moderatione tot annorum fortunâ retinuit: *habet enim humanus animus*
sublime quiddam & generosum naturâ insitum, ut nemini parere possit, nisi utiliter
imperanti: nec quicquam valentius est ad continendam humanam societatem, quàm
beneficiorum vicissitudo, *Buchananus de jure Regni apud Scot.* ob quam causam
 Scotorum & Cimbrorum Regna antiquissima dicit, cum Gallorum, An-
 glorum & Hispanorum Regna toties ex aliis in alias familias transferint.
 d) *Albinus* in *Chron. Misnensi in vita Friderici Sapiensis.*

XVI.

Peregrinum, qui patriam Germaniam laudare non potest,
 eligi non posse verius videtur.

Heig *1. quæst. 5. n. 6. & seqq.* *Petrus de Andlo de Imp. Rom. lib. 2. c. 3.* *Simon*
Pistor. conf. 1. n. 2. quia Imperium in Germanos in personam Karoli Magni
 activè & passivè translatum est, *Heig* & citati auctores *ad. locis:* quam sen-
 tentiam non solum veram, sed & pro conservatione Imperii maximè ne-
 cessariam esse dicit *Petrus de Andlo d. lo. c. 3. lib. 2.* facit, quòd etiam in Ec-
 clesiasticis dignitatibus conferendis receptum sit, *usi si electio concurrat de*
gremio & de alienigenâ, illa prævaleat, *Lælius de Zanchis de privil. Eccles. pri-*
vil. 28. n. 17. Præterea, in Electionibus pristinae consuetudines sunt obser-
 vandæ, *l. 9. C. conveniend. fisci debitorib. c. super quibusdam. extr. de Verb. Signific.*
Schraderus consil. 1. n. 290. lib. 1. *Verallius aecis. 199. n. 1. p. 2.* in terminis *Rau-*
denlis decis. 34. num. 175. Longissimo verò tempore omnes Impp. Germani
 natione fuerunt, quo ipso videtur esse præscriptum, uti omnes debeant esse
 Germani, per tract. in *c. Abbate sanè. de Verb. Sign. cum maximè id sit obser-*
vatum hætenus cum proposito adquirendi illam prærogativam & præ-
judicandi aliis nationibus, *Matthias Stephani de jurisdict. lib. 2. part. 1. cap.*



1. n. 95. 96. Germanus verò etiam censetur, patre vel avo Germano
 extra Germaniam, natus; quod de Karolo V. & Ferdinando Imp. Fratri-
 bus & Ducibus Burgundiæ respondit Gœden *consil. 1. n. 3.* ubi addit, *digni-
 tatem adjectam primæ & origini non mutare originem primam, nec minuere hono-
 rem, sed augere.* Castaldus autem *de offic. Regis lib. 1. cap. 23.* disputat jejunè &
 ineptè, num ex aliâ natione, si idoneus in Germaniâ Rex vel Imperator
 non inveniretur, eligi debeat? Cui cum Jcto respondemus, talem even-
 tum non expectandum, nec sperandum. An verò magnâ ex causâ natio-
 ne non Germanus eligi potest? argumento eorum quæ diximus *ib. 9. lit. a.*
 puta, amterminus & vicinus, qui apud Hispanos pro originario haberi so-
 let, Achilles de Grassis *decis. 63. n. 2.* sicuti Gallum cum Germano concur-
 rere posse, ex quorundam opinione not. Pacianus *de probat. lib. 2. c. 35. n. 50.*
 Quinam verò pro originariis veris habeantur, vid. Papo *ad Consuet. Burbo-
 niæ. §. 189.* & qualia officia & beneficia habere possint, *ibid. §. 188. fol. 183.* &
 apud Choppin. *de doman. Franc. lib. 1. tit. 11. de jure advenarum.* Antiqua aliàs
 sapientum Principum ab usu & experienciâ comprobata est sententia,
 Consiliarios excellentes vocandos esse ex alterius regione, Barthol. Phi-
 lippo *de Consiliar. lib. 2. p. 6. n. 33.* uti Imp. Karol. V. consilium ex Germanis,
 Italis, Burgundis, Hispanis, Flandrensis habuisse constat, Ulloa *in viâ
 Karol. V. lib. 6.* (cùm Regis officium, teste Osorio *lib. 12. histor. Emanuelis Lu-
 sitaniæ Regis, in nulla re clariùs perspiciatur, quàm in excellentium hominum, qui
 res præclaras maximâ cum laude moliantur, multitudine: licet Mariana de rebus
 Hispan. lib. 9. c. 8. tom. 1. existimet, non esse magni Principis argumentum; magnos
 habere aulicos: cùm Reges plerunq; rectè factorum gratiam ad se trahere: & eorum
 quos intimos habent, invidia & periculo peccare soleant.) prout in Poloniâ etiam
 loca munitissima Peregrinis commissa; & Cardinales ex diversis partibus
 Orbis collectos intima consilia Pontificis tractare certum est, cùm nullus
 sit extraneus, nullus peregrinus, si naturam respexeris, duabus existentibus
 nationibus Bonorum & Malorum, Eberh. à Weihe *dissert. de reg. El. Et. &
 success. Bodin. de Republ. 4. 8.**

XVII.

Et ita temporibus Reipubl. efflagitantibus secundum or-
 dinationem Bullæ a) nostræ ritè rectèque proceditur: Quo
 casu tamen Electores juramentum sibi invicem ad Electionis
 actum præstandum mutuiter remittere non b) possunt.

a) *cap. 1.* b) Nicol. de Cusa *de concord. Cath. c. 36.* Etenim tale jura-
 mentum concernit favorè publicum, cui per privatos nequit contraveniri,
 DD. *in l. ult. C. si quid contra jus vel util. publ. fac. not. in th. seq.* Unde Raudensis
*decis. Pisan. 34. n. 165. ait: Electio requirit numerum, auctoritatem, & zelum: qui
 per juramentum injicitur, M. Antonius Bavaria de virtut. & virib. jurament.
 tom. 4. tract. tractat. fol. 364. lib. 1. c. 6.* Proinde cùm in Electionibus maximè
 ratio Boni publici haberi debeat, Cusanus *d. c. 36.* in aliis Electionem Re-
 gis nostri concernentibus, puta, *Quà decretum: Per quemnam illud præsen-
 tandum foret electo, & intra quantum temporis spatium: Intra quod tempus Ele-
 ctioni con-vel dissentiendo Electus respondere debeat: Qualis itemque ordo in E-
 lectione servandus sit, &c:* ita versandum est, ne quid contra morem antiquis-
 simum, & Reipubl. nostræ decus atq; utilitatem committatur, Heig. *quæst.*
 5. n. 3.

5. n. 3. Quo modo in vulgaribus etiam nominationibus inaugurandis formulam cuiq; negotio à suâ declaratione primævâ, à sua fundatione præscriptam, insequendam esse respondit Monspelienf. *consil.* 51. n. 29. & 30.

X I I X.

Quocirca si contra religionem jurisjurandi pro suffragio pecuniam acceperit Elector, facultate eligendi eum excidere a) respondit Simon Pistoris. b)

a) Electio enim non valet formâ debitâ non servatâ, post Br. Petrutius à Montesperell. *consil.* 25. sub n. 13. Est autem tale juramentum de substantiâ & formâ Electionis, Simon Pistoris *d. consil.* 1. n. 31. est actus religionis atq; patriæ, Claudius Bertazzolius *in addit. ad consil. crimin. patris, lib. 2. consil.* 553. habet vim certiorationis & scientiæ eorum, quæ jus disponit, Hondedæus *consil.* 33. n. 39. vol. 1. Qui autem scienter indignum (quod hoc casu fieri videtur, cum pecuniâ corruptus haut liberè sententiam dicit, Stephan. Maletus *de Elect. lib. fact. n. 38. cap. 4.*) jure eligendi privari debet, Fachineus *lib. 1. consil.* 70. n. 36. per c. *Vintoniensis. extr. Elect.* Utrum verò hîc necessaria sententia? Quod negandum videtur, argumento eorum, quæ tradit Modestinus Pistor. *vol. 1. consil.* 44. b) *d. consil.* 1. per tot. ubi quoq; idem adfirmat, etiam si electus ignoraverit, vid. Nicolaus de Cusa *de concordant. Cathol. cap.* 35.

X I X.

Cum etiam penes eos, quibus in manu est, eligere quos velint, sit jus & potestas, electos quibus velint constringere legibus, a) certis etiam conditionibus atq; legibus, b) quas Capitulationes c) vocant, Rex noster ad Imperium evehitur.

a) ut ait Buchan. *de jure regni apud Scot. p.* 53. b) Omnes enim omninò Principes ex cõventione quadam saltèm tacitâ, quæ ex æquo omnes mortales colligat, conditionibus certis constringuntur, nec ullus etiam, nisi per Tyrannidem Imperium invaserit, sine certis conditionibus saltèm illis, quæ ex communi benè imperandi naturâ dependent, ad Imperium evehitur, Antonius Gothofred. *in disput. anti-Vultejan. de potest. Imp.* Hinc origo legum fundamentalium, quas vocant, apud pleraque omnia Regna, Paurmeister *1. de Jurisd. c.* 17. n. 10. Bodinus *4. de Republ. n.* 426. (Et ita fœdus sive pactum apud populum Judaicum in constituendo Rege duplex iniebat: primum, inter DEUM & Regem & Populum: secundum, inter Regem & Populum: In primo fœdere Pietas in obligationem veniebat; in secundo Justitia: Illo promittebat Rex, se piè obediturum DEO; hoc, se justè imperaturum populo: Illo se gloriam DEI; hoc utilitatem Populi curaturum: In illo inerat conditio, Si legem meam observaveris; in hoc, Si jus suum unicuique tribueris: Illius, ni impleretur, DEUS propriè vindex erat; hujus, legitimè universus Populus, quive universum Populum tuendum susceperant, regni Proceres, Stephanus Junius Brutus *in vndiciis contra Tyran. q.* 3. p. 126. Et hæc in omnibus legitimis Imperiis observata fuerunt, hodieque observantur, Brutus *d. lo.* ubi omninò vid.) Et de illis in Regno Galliæ, vid. Hottoman. *1. antiq. jure regni Gall.* 23. Bodin. *1. de Republ.* 8. n. 88. Regno Poloniæ, *lib. 1. statut. Polon.* 2. Angliæ & Scotiæ, Cambdenus

*in descripi. Magnæ Britan. lib. 1. Danorum, Lauterbach. 1. de Rep. 15. Reipubl. Belgicæ, Althusius in polit. cap. 13. p. 180. Hungarorum, Bonfinius lib. 9. dec. 4. Tartarorum, Broniovius de reb. Tartar. p. 7. Hispanorum, Lopez en las parvidas Hispanicis tom. 1. p. 2. 3. & seqq. Brabantinorum, Divæus de reb. Brabant. lib. 2. c. 3. Frisiorum, Ubbo Emmius lib. 4. rerum Friscarum decad. 1. c) Id quod videre est ex Capitulatione Karoli Quinti, apud Sleidan. lib. 1. histor. & aliorum qui secuti fuerunt, quarum summa est: *Leges latas se custoditurum; novas inconsultis Electoribus non laturum; publica publico consilio curaturum; nil alienaturum, oppigneraturumve ex iis, quæ ad Imperium pertinent.* Et cum Imp. coronatur Aquilgrani, Colonienfis Archiepiscopus stipulatur primùm, *ut non sit Ecclesiam defensurus, Iustitiam administraturus, Imperium conservaturus, viduas, orphanos, omnesque omninò miseratione dignos conservaturus* Stephan. Brutus d. 10.*

X X.

De iurisdic-
tione Regis
Romanorum.

JURISDICTIONE Regis nostri vim suam statim a) post Electionem exerit, insuper habitâ omni confirmatione b) aut coronatione, c) quo de dubitare ridiculum esse dicit Corneus. d)

a) Rodolphinus de Sablonetâ de potest. Princ. absol. c. 2. n. 6. In supremis enim Principibus sola Electio plenum jus tribuit, post Bl. Quetta consil. 1. n. 16. & an idem consuetudo, vid. Fr. Marci decis. 843. & ita respond. Mandellus consil. 62. n. 31. Cacheranus consil. 50. n. 3. prout feuda etiam de bonis Imperii licitè ab eo infeudari posse, notat Schraderus de feud. p. 4. c. 1. n. 13. adeò uti si duo in discordiâ electi unum eundemq; investierint de feudo, ea investitura dependeat ex futuro eventu, Schrad. d. lo. n. 18. vid. nos. 5. th. 11. Dissent. Alphonius de Azevedo consil. 14. num. 7. Gutierrez. conf. 3. n. 20. & in concessione privilegiorum Decianus consil. 23. vol. 2. n. 23. ubi philosophicè ex Averrhoë ratiocinatur. b) Confirmatio enim est actus superioris, Thoming. conf. 8. n. 236. tom. 1. quem præter DEUM & gladium Rex noster haut recognoscit, ex communi Septemvirum decreto, temporibus P. Benedicti XI. publicato, Aventinus lib. 8. histor. cum Pontifex etiam nihil nisi Imperium nulladense, codicillare conferat: Knichen de jur. Saxon. c. 1. n. 20. quod ex ipso electionis Pontificiæ modo quoq; probatur, à quo valet argumentum ad Imp. secundùm tradita Gilkenii ad aush. quas actiones. C. de SS. Eccles. c. 9. n. 12. vid. omninò Lüpoldus de Babenberg de jurib. Regni, c. 5. 7. & 9. Bodin. 1. de Rep. 9. Dissent. CC. inc. venerabilis. extr. de Elect. confundentes substantialia & quidditatem rei cum solennitate extrinsecâ. c) Quæ honoris magis quàm necessitatis causâ intervenit, Knichen de jur. Saxon. cap. 1. num. 18. d) vol. 1. consil. 177. n. 15. quod etiam refert Dretzlerus in concordantiis ad consilia Beron vol. 1. consil. 1.

X X I.

Cum enim vicarius a) Imperii perpetuus b) existat, mandatumque cum liberâ c) habere censeatur, ea quæ Imperator d) regulariter e) facere f) potest.

a) Licet magnum sit eorum solatium, qui vicariâ sorte præsidium nobis præstant, ex Cassiodoro Pancirol. ad nos. Imp. Rom. c. 12. (Ita Augustus, quasi

7
 quasi jam unus esset Imp. rem omnem administrabat per legatos: quorum
 duo genera erant, Consulares & Prætorii: illique toti exercitui præerant,
 hi legionibus: jus tamen triumphi non habentes, cum omnia gererent au-
 spiciis alienis, Curtius Pichena *in not. ad Tacit. in vita Agricola c. 7. & c. 40.*
 Vicarios tamen Imperii haut bonâ fide negotia Imperatorum egisse, sed
 lento nisu ad Imperium grassatos fuisse, ex Cumano refert Sola *ad constit. Sabaud. in gl. proæmis. num. 17.* ob quam causam Italos & Gallos temporibus
 Arnulphi Imp. defecisse scribit Alphonsus del-Bene *lib. 1. de regn. Burgund. Transjur.* Et hoc modo Karolus Audax Burgundiæ Dux à Frider. III. Imp.
 contēdebat, uti crearetur Imperii perpetuus Vicarius: quò ea, quæ unquam
 Imperio ablata fuisset, ad præscã Romani Principatus majestatem redigeret:
 & ita ingens esset materia & audenti & prospero, & ad quodvis audax cœ-
 ptum in speciem abundè multum juris, Antonius de Laleing *in narr. histor. congressus Frider. III. & Karol. Burgund. Pontus Heuterus lib. 6. rerum Burgund.*
 b) Concessio enim hæc Vicariatus consentientibus Statibus abiit in vim
 contractus, in quibus semper debet inspicere, in cujus favorem celebratus
 sit, ut sciamus, quid possit aut quid non possit, *in terminis Sichardus consil. feud. 9. n. 91.* Unde pœna eorum, qui majestatem ejus lædunt, transit quoq;
 ad liberos, sicuti inter perpetuos & temporaneos Vicarios distinguit Fari-
 naccus *tom. 4. criminal. tit. de crimine læsæ Majestatis. n. 39. 41. 42. post Gigant. Ca- pit.* Aliorum veluti Ducis Sabaudia vicariatum ob præscriptionem con-
 currente investiturâ perpetuum dicit Sola *ad constitut. Sabaud. d. loc. num. 21.*
 c) Symphor. *obs. Cameral. tom. 1. p. 3. vot. 8.* An Rex Romanorum confirmare pos-
 sit, & de novo aliquid concedere in præjudicium proprietarii Caesaris: quod cum ad
 Domini perniciosâ extendi haut debeat, *l. 1. §. 1. de offic. procur. Cas. l. 28. §. 1. l. 37. D. de pæf.* Imperatoris jus directum Rex noster lædere haut potest:
 sicuti etiam de bonis ad mensam deputatis, quæ vocant, sine expresso Im-
 peratoris consensu pro suo arbitrio statuere nequit, Symphorem. *d. loco.*
 quamvis ad reservata Imperatoris etiam absq; speciali mandato potesta-
 rem ejus de consuetudine extendi notet Decianus *vol. 2. cons. 23. n. 67.* quod
 in omnibus perpetuis vicariis quoq; obtinere respondit Bertazzolius *consil. 12. post Felin. in c. quæ in Ecclesiarum. num. 32. v. quarta declaratio. de constitut.*
 d) Censetur enim una persona cum Imp. Mutius Anton. Surgens *de P. P. comparat. cum Vicerege Neap. c. 8.* Unde etiam unum idemq; tribunal cum co-
 habet, nec valet consuetudo, uti ab uno ad alium appelletur, Matthias Ste-
 phani *de jurisd. lib. 2. p. 1. c. 11. n. 55.* quod in Vicariis Episcoporum quoq; lo-
 cum habet, Trivisanus *decis. 32. n. 3.* & sub eo prætextu, quod est Rex Ro-
 manorum, de præsentis futurus est Imperator, & præeminentia illa spei
 hujus radicata & futuræ qualitatis in eo nobilissimum hoc habet, uti præ-
 cipuè tanquam futurus Imp. honoretur, *arg. l. oratio. D. de sponsal. vid. Gon- dissalvus Villadiegus de leg. 9. 14. n. 68. & seqq. Arnulphus Ruzius de jure re- gali 9. 18. & 9. 48.* faciunt notata Abbatis *in c. translatio. in fin. extr. de constitut.*
 Quoties duo sic se habent, quod de uno ad aliud pervenitur, dispositum
 in uno censetur etiam dispositum in alio: Sola *ad constitut. Sabaud. d. lo. n. 16.*
 Ex tali enim coherentiâ alterum alterius adsumit naturam, *gloss. c. quando. extr. Judic.* Joannes de Amicis *consil. 3. n. 4.* Et hoc argumento Regem Ro-
 manorum Regem Galliarum præcedere, respondit Quetta *consil. 1. per tot.*
 e) Ex solâ enim designatione administratio plena commissa non vide-
 tur, nisi absit impeditusve sit Imp. (unde frequens illa locutio in Recessib. Imperii)


Imperii: Wir oder in abwesen Königlich König:) argumento eorum, quæ no-
 tat Molina de primogen. Hispan. lib. 3. c. 6. n. 22. tunc enim suo quoque nomine
 constituit, quod evincunt multa rescripta Ferdinandi Imp. quibus hæc
 verba inserta: Vnd für vns selbst vnser gnediger befehlt. vid. Symphorem. d. loco.
 f) Vicarii enim Regum possunt, quod Reges soliti sunt sine difficultate
 concedere, ideoque Vasallo alienanti, alienandi consensum præstare non
 possunt, Mut. Anton. Surgens d. lo. p. 369. post Camerar. Rosenthal. de feudis
 c. 9. concl. 30. n. 8. Proinde eõrmes eiusmodi alienationes per successores le-
 gitimis remediis revocari possunt, Choppin. de doman. Franc. lib. 2. t. 5. (non
 tamen Interdictis, quæ de iuribus publicis non dantur, nullo loco iuris id
 confirmante; Unde Spartianus factum Juliani experiētis Interdicto de Im-
 perio adversus Severum, vocat insaniã, & tales causæ olim per arbitros dif-
 ceptabantur, Brisson. 5. de formul. Secus tamen est moribus nostris, Giphan.
 de ordin. Iud. lib. 1.) quo de vid. Eberhard. Junior. vol. 1. consil. 1. n. 8. & seqq. &
 consil. 6. 7. 14. per tot. Modest. Pistor. consil. 15. & consil. 40. lib. 1. Quomodo ve-
 rò Principes teneantur in huiusmodi contractibus & alienationibus con-
 siliium adhibere Procerum suorum, der Landt: vnd Hoffrãhte / vid. Petr. W e-
 senbec. consil. 2. per tot. Successor aliã servandis pactiõibus & debitis de-
 cessoris exolvendis obstringitur, si in causam Reipubl. æs alienum conflu-
 tum sit. DD. l. digna vox. C. de ll. In rebus enim ad dignitatem pertinentibus
 successor in dignitatem antecessoris contractui obligatur. c. Abbate sanè. Re
 judic. Unde non exigua privatis cautio explorare privatum Principum pa-
 trimonium, quo ad siduo & locuplete agro sponse, haud dubium est,
 posteros quoq; ejus possessores defuncti conventis obstringi. arg. l. Et si is.
 C. de præd. min. Bald. resp. 271. vol. 1. Nam res propriæ peculiareq; Principum
 habentur eo loco, quo patrisfamil. cujusque fortunæ ac facultates. Unde
 nec ullius magis refert, quàm Principum ipsorum separatos habere fun-
 dos, ipsorumque patrimoniales, nedum publicos, ut illis freti & suffulti
 prædiis, quasi prædibus, aliquẽ nancisci possint, cui fidem dent exolvantq;
 pariter secum paciscenti: Quemadmodum enim in re uxoriã *κατὰ τὴν φήγλω,*
κατὰ φήγλω sunt mancipi & liberi uxorum arbitrii; ita præter dotalis Reipubl. opes
 expedit Regibus eundem in usum & commercium liberum publico infertur
 peculio. arg. l. si ego. §. dotis. D. de jure dot. eleganter Chop-
 pinus de doman. Franc. lib. 2. t. 14. n.
 23. in fin.


Εἰς Θεοῦ ἔργα πλείτα.


¶ Non intret Cato theatrum nostrum, aut
 si intraverit, spectet.





IOHAN-











Ha 1650 6


(3/4)

ULB Halle 3
006 683 800



VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13



299.

VÖLNERI
 Franci
 ROMA-
 ECTIONE
 e, itemque
 one
 DELIBATÆ
 fs.^{mi} Imp. Cæs.
 VARTI.

de jure Regni
 os.
 bono Rege quidquam præ-
 nalo pestilentius potest: Et
 ut semper probi supperant,
 felicitas, ut fors illa semper
 mus, at quales vel consen-
 Regibus habeamus. Ea au-
 vel in oblatis fortè nascendi
 eges cupere debemus, quæ
 at: quæ leges nihil aliud
 oni Principis

XIX

